

3.
Q. B. V. D. T. O. M.

DISSERTATIO GRADUALIS

De

PIETATE
PHILOSOPHICA

PER

CONTEMPLATIONEM HUJUS UNI,
VERSI ACQVIRENTA

QVAM,

Indulgente inclito Colleg. Philosoph. Aboensi
PRÆSIDE

Ampliss. atque Celeberrimo VIRO

Mag. NICOLAO HASSELBOHM,

Math. Protest. Reg. & Ord.

Publico bonorum examini placide submittit

DAVID STAUKE
NIL ANDUS.

In Auditorio Maximo, die XII Junii

An. MDCCXXXV.

Horis ante meridiem solitis.

ABOÆ, Excid, Joh, Kiampe, Reg, Acad. Typ.

Clarissime Dn. CANDIDATE
AUCTOR & RESPONDENS,
Amice æstumatissime.

Quemadmodum, qui fugit molam, farinam quoque fugiat, oportet: ita e regione par est, ut quisque ob improbi laboris devoratas molestias premium aliquando accipiat. Imprimis vero conveniens esse videtur, ut, qui litteris bonisque artibus & moribus strenuam navando operam viam sibi per dumeta & vepres ad altiora parant, condigno præmio mactentur: Quod si igitur illud fieri & eqitas & omnium temporum consuetudo jubet, tantum certe abest, ut, que omnium bonorum consensu promeruisti premia, tibi invideam, ut potius dulcedinem fructum, quam tibi ex floribus ate jam alterum sparsis perperisti, in sinu tibi gratuler. Cumque culmen alti doctorum virorum Parnassi scandere cupias, crinainis nimie oscitantia insimulaver, si celebrem hanc occasionem præterlabi sinerem, quoniamus sincero gratulacionis studio te prosequerer. Gratulor itaque Academie huic ad Auram sita de cive egregia indolis, qui ut assidue bonarum artium studiis incubuit hactenus: ita lauream nulla temporum injuria flaccidesceret, sibi propediem parabit. Gratulor mihi de amico tam sincero tamque acri ingenio præditu: Gratulor denique tibi ipst Clarissime Dn. STARER de laurea, que, non ut ad egregia in uitamentum sit, sed ne virtus promerita suis diutius ornamenti careat, in te jamjam conferenda est. Vale

Sic ex sincero animi affectu gratulari voluit.

AL. ÅREHJELM.



§. I.

Per pietatem Philosophicam intelligimus promptitudinem delumendi actionum motiva ex attributis divinis. Attributa autem divina, sunt variae istae realitates sive perfectiones, quae in summo gradu Deo competunt.

§. II.

OPortet itaque philosophice pium cognitione perfectionum divinarum, eaque viva, i.e. ejusmodi, quae repræsentationem boni secum habet annexam, ac motivum voluntati sistit, esse instructum.

§. III.

Quo viva magis & distincta est cognitio hæc; eo etiam intensior est pietas; quandoquidem voluntas ea semper appetit, quæ eidem tanquam optima repræsentantur.

A

§. IV.

§. IV.

Ubi plurim perfectionum divinarum hujusmodi est cognitio; ibi etiam plura sunt motiva, & consequenter major pietas.

§. V.

Contemplationem universi in eo verti judicamus, ut, tum in genere totus hic nexus simultaneorum ac successivorum, tum etiam in inspecie singula ista, quæ in eodem continetur, quantum dari potest, accurato mentis scrutinio subjiciantur, attendendo, tum ad existentiam eorum, tum etiam ad rationes, & proximiores & ultimam, quare potius existant, quam non existant, & quare potius hoc, quam alio modo.

§. VI.

Universum sive mundum definita ratione intuens, rationem illius ultimam non potest non querere in ente quodam alio extra illum constituto, si eandem in eo ipso non deprehendat. Hæc est scala illa, per quam a posteriori, sive per experientiam, ad cognitionem summi cuiusdam eritis assurgimus.

§. VI.

§. VII.

Drigendo aciem oculorum ac mentis nostræ ad vastissimam hanc mundi compagm contemplandam; magnifica omnia admirationemq; nostram mirum in modum excitantia, ibidem occurrunt. Deprehendimus simul, omnia, tum quæ in mundo materiali, tum etiam, quæ in spirituali continentur, variis mutationibus esse obnoxia. In spiritibus (qui suam existentiam produnt per cogitationem) infinitas idealium successiones ac permutationes existere novimus. Posse omnes eorum facultates studio ac industria perfici, negligentia depravari, ipsa experientia magistra docemur. Corpora autem sive entia illa composita, videmus quotidiane oriri ac interire, esseque in nîtu quodammodo perpetuo statum suum mutandi. Putrefactionis ac fermentationis legibus, tantum non omnia dissolvuntur, inque sua rediguntur principia. Experientia ulterius informamur, singula quo ad locum figuram atque magnitudinem, varias subire mutationes, & adhuc infinitas alias possibles admittere eadem posse, contradictionem non involvere. Liceat rem verbo com-

pletū: intelligimus ea posse existere ac non existere: posse hoc vel alio modo existere. Hinc baculo aliquando structuram serpentis inductam fuisse, solemque, invito more suo, per ali- quod tempus, eundem versus terram situm tenuisse, sacræ nos docent pandectæ.

§. VIII.

HAc indubitata experientia innixi, demon strare jam valemus qua ratione *contemplatio mundi nos ducat ad cognitionem summi cuiusdam entis.* Contingens illud ipsum dicitur, quod potest esse & non esse; quod potest esse sic & aliter. Ast mundus ita (§. 7.); ergo in numerum contingentium est referendus. Contingentia rationem sufficientem existentiæ suæ in se ipsis continere non possunt; sed agnoscunt eandem in ente quodam necessario extra se constituto. Mundus est etiam ex numero contingentium, vi syllogismi præcedentis; ideoque rationem existentiæ suæ agnoscit in ente quodam necessario, quod majestico nomine Deum appellamus. Qua itaque certitudine convicti sumus mundum, & nosmet in mundo existere (§. 7.) eadem etiam nobis constat,

De-

Deum summum universi conditorem existere.
 Quatenus autem contemplatio mundi nos du-
 cit ad cognitionem contingentiarum ejus (§. 7.) ju-
 betque nos in analysi rerum non antea subsi-
 stere, quam ad rationes sufficientes perveniamus
 (§. 6.); eatenus etiam illa manu quasi
 nos ducere intelligitur ad cognitionem summi
 Numinis,

§. IX.

SI itaque contemplatio mundi innuit summum
 aliquid ens esse universi causam; innuit et-
 iam omnes illas perfectiones, quae eidem com-
 petunt, esse summas. De quibus jam paulo
 distinctius agendum.

§. X.

Mediante demonstratione supra data facile
 ostendi potest: contemplationem mundi no-
 bis indicare, quod Deus sit Omnipotens. O-
 nniotentia etenim illius in eo consistit, quod
 omnibus possibilibus possit existentiam largiri.
 Ast contemplatione docemur, eum mundo e-
 xistentiam largitum suisse (§. 8.) ergo etiam in-
 dicat eum esse potentem, idque in summo
 gradu (§. 9.). Quod idem est ac omnipotens.

§. XI.

§ XI.

Cum ergo hinc pateat, Deum esse omnipotentem; pateat etiam oportet illius auxilio rem aliquam felicitatem nostram provehentem, infinite facilius effici posse, quam auxilio quorumcunque aliorum. Consequenter haec notio in pietate philosophica excitanda, insigne præstat usum (§. I. 2. 3).

§ XII.

Experimur hunc mundum, adhuc indies nova quasi existentia donari, creataque omnia in suo esse & munere conservari. Una etenim re pereunte, altera multo interdum nobilior ac præstantior loco illius succedit. Flores ac herbæ, splendidissimum terræ vestitum constituentes mox nimio frigore constrictæ, omni vita ac vegetatione privantur; mox iterum calore solis excitatæ novis quasi viribus e gremio terræ resurgunt novaque ac spendidiori pompa oculos ac animos intuentium oblectant. Motus omnes, leges, ac regulas semel illis prescriptas, servare observamus. Sic corpora cœlestia, ut e. g. Saturnus 30, Jupiter 12, Mars 2 fere annorum intervallo, circulum suum per-

7

riodicum absolvunt. Debitam præterea a se in-
vicem servant distantiam, ne vel nimia sua con-
junctione frequentius eclipses pati necessum ha-
beant, vel nimia a se invicem sejunctione, pri-
ventur lumine isto, quod unum eorum ab al-
tero mutuatur.

§. XIII.

Contemplatio mundi, omnipresentie ac sum-
me sustentationis divine nos reddit memores.
Mundus, a ipso coniungens (§. 7. 8.), si-
ne presentia ac manu Dei sustentatrice, exis-
tentiam suam tueri haud valeret. Ast jam vi-
demus eundem indices existere omnipotenterque
sustentari (§. 12. 10), ergo constat ex contembla-
tione mundi, Deum ubique esse præsentem o-
mniaque sustentare, & quidem modo perfectis-
simo (§. 9.).

§. XIV.

Si igitur Deus ubicunque est præsens & omnia
sporet (§. 10); sequitur etiam eum ubicun-
que hominibus opitulari posse. En iterum no-
tio, ad pietatem philosophicam promovendam
apprise tœcunda (§. I. 2 3).

B

§. XV.

§. XV.

Qui oculo astronomico systema hoc mundanum contemplatur; vastissimæ illud comprehendit esse magnitudinis. A nostra etenim terra ad solem, calculo accuratissimorum astronomorum, præcipue celeberrimi illius Joannis Dominici Cassini, demonstratum est, esse intervalum 22000 semidiametrorum terrestrium, seu 18920000 milliariorum germanicorum: inde ad saturnum 179740000 milliariorum. Sed hinc ad stellas fixas adhuc multo longior est distantia: & ex observationibus Hugenii, ponitur eadem 27664 vicibus superare distantiam solis a terra. Hic itaque numerus si ducatur in distantiam solis a terra a Cassino datam; prodit summa 523402880000 milliariorum, pro distantia stellarum fixarum a saturno. Hugenius ut hanc viam aliquanto planiorem imaginacioni susteret, inito calculo ostendit globum ex tormento bellico ejectum posita eadem semper celeritate non nisi post 691600 annorum decursum, proximam attingere posse stellam fixam. Haec deinde stellæ, nudo oculo conspicuæ ad numerum fere 3000 referri solent: Ast ope telescopio-

piorum adhuc longe plures, immo innumerabiles apparent. Omnes hæ sunt corpora solaria, soleisque millesimis vicibus terra majorem, magnitudine vel æquant vel superant. Hinc per analogiam argumentantur nonnulli Astronomorum, quamque earum scilicet stellarum, eadem ratione ac nostrum solem illuminare 16 planetas, tantaq; fere a se invicem differre distantiæ, ac sol differt ab illis. Stupenda certe hæc est amplitudo, immensumque oceanum intellectus indicat illius, qui hæc omnia uno intuitu distincte sibi repræsentare potest. A majoribus jam ad minora descendendo, deprehendimus amplissimam hanc mundi machinam, tum quoad spatiū, tum etiam quoad tempus in infinite parvas particulas esse divisam. In qua re illustranda microscopiorum usus se commendat. Sic e. g. Fransiscus Tertius de Lanis narrat in suo Magisterio naturæ & artis, se ope microscopii adaugentis magnitudinem corporis ad rationem 2700000 ad 1 contemplatum fuisse vermiculum aliquem 24 pedibus gaudentem, qui maior tamen non apparebat ac granum aliquod hordeaceum. Hinc patet spatiū aliquod viginti septem millenis mille vicibus gra-

nulo hordeaceo minus, posse capere animal a
liquod viginti quatuor pedum. Hujus deinde
animalculi fibræ ac intestina, particulaeque lan-
guinis quam sint subtile, vix imaginando as-
sequi possumus. Hæc quidem sunt minutissima,
ast multo minutiores adhuc sunt particulae æ-
theris, quæ singulis momentis, vibratione ra-
diorum solarium moventur. Has autem ca-
rumque varios celeritatis gradus, uno ob-
tutu videre, immensi ac infiniti est intellectus. Plu-
ra quidem adhuc, tum de tempore, tum etiam
de numeris ac figuris, ex quibus infinitudo
elucescit afferenda essent; nisi proposita brevi-
tas prohiberet.

§. XVI.

Mundus est exemplar aliquod summi intelle-
ctus divini. Intellectus Dei in eo consistit,
quod omnium possibilium simultaneam ac di-
stinctam habeat notionem. In mundo innume-
ra videmus (§. 15.) quorum distinctissimam ha-
bet notionem (nam alioquin producere ea
haud potuisset (§. 8.) nec producita sustentare
(§. 13.)) unde constat mundum evidentissimum
esse speculum summi intellectus summæque sci-
entiæ divinæ (§. 9.).

§. 17.

§. VII.

Si hinc eluces Deum esse omniscium; eluceat etiam, cum optime scire, quibus modis felicitas generis humani provehi potest. Notio pietati philosophicæ admodum amica (§. 1. 2. 3.)

§. XVIII.

HAUD difficulter omnibus constare opinor omnia, in universo hocce, tum quoad spatium, tum etiam quoad tempus esse connexa, & quidem ita connexa, ut unum semper existat in gratiam ac utilitatem alterius. Sic e. g. Officium solis est lucere ac calefacere: calefactio efficit, ut vapores in altum surgant: congeries vaporum pluvias constituit: pluviae terram irrigant: irrigatio nutrimentum plantis ac herbis offert, haec iterum hominibus animalibusque. Rem in compendium mittam: natura nihil frustra agit.

§. XIX.

Contemplatione mundi ascendimus ad cognitionem sapientiae divine. Sapientia Dei definitur per scientiam inveniendi media, quibus finis intentus optime obtineri potest. Finis quidem generalis Dei circa creationem mundi fuit, ut is esset quasi speculum aliquod perfectionum illius: esse autem mundum medium obti-

obtinendi hunc finem, patet ex §. 8. 10. 13. & 16. specialia autem media ad conservationem hujus universi ab eo esse electa, elucet ex §. 18: ergo per contemplationem mundi, maxima sapientiae divinæ vestigia, in rebus ubique quasi impressa intuemur.

§. XX.

Si ergo Deus est sapiens; potest omnia ea quæ nobis contingunt, etiam ea quæ mala nobis videntur, in optatos ac jucundos dirigere fines. Nemini alienum esse judico quantum hæc notio tribuat pietati philosophicæ. (§. 1. 2. 3.).

§. XXI.

Non quidem sine singulari animi voluptate experimur, omnia quæ in toto universo sensibus nostris obveniunt, utilitati ac commoditati creaturarum inservire. Dissita exempla ad hujus rei illustrationem non opus est ut afferamus; sed sufficiat illud ipsum in apricum produxisse, quod quidem nobis proximum est, & in quo omni momento quasi natamus, aërem nempe, invisibilem illum, ut ita dicam, cibum ac potum. Hujus tanta est utilitas, ut eodem vix momento quodam, sine discrimine non solum sensuum nostrorum utilissimorum, ut auditus atque olfactus, verum etiam ipsius vitæ tum nostræ, tum animalium, tum etiam vegetabilium, privari possimus. Constat enim aërem esse vehiculum soni, dum pulsu quodam in motum excitatus, undulatione tua, organa attingit auditoria. **H**ic itaque est in caussa quare voces edere, easdemque ab aliis editas, audire queamus.

mus. Hoc utilissimo naturæ dono, si deslitueremur; emnes essemus quasi elingues, nobilissimaque sermocinandi facultas nihil nobis prodesset. Eodem modo constat aërem quoque esse vehiculum particularum odoriferarum, omnibus qui vel primis labiis Philosophiam degustaverint naturalem. Animalia plantasque, loco aëre privato, extingui experimenta, quæ ope antliæ pneumaticæ instituuntur, abunde docent.

§. XXII.

Mundus innuit Deum esse summe bonum. Bonitas Dei consistit in intensissima voluntatis propensione tribuendi omnibus entibus tantum perfectionum, quantum essentia eorum recipere valet. Dum mundum intuemur; cernimus ea, quæ in illo sunt, perfectionem conferre entibus tum rationalibus, tum irrationalibus (§. 21. 18.); ergo constat eum, qui hæc omnia sustentat (§. 13.), esse bonum, idque in summo gradu (§. 9.).

§. XXIII.

Si contemplatio mundi nos docet Deum esse potentem (§. 10.), præsentem (§. 13.), scientem (§. 16.), sapientem (§. 19.) ac bonum idque in summo gradu; docet etiam fiduciam in eo collocandam esse; quandoquidem illam in eo semper collocare solemus, de quo certe persvasi sumus, quod possit atque velit bonum nobis præstare. Fiduciæ certæ comes hilaris semper est animus, quoniam illa efficit, ut bonis futuris, tanquam præsentibus fruamur. Hæc omnia

qvo-

quoniam sunt consequentiae cognitionis perfectionum divinarum, ad quan. contemplatio mundi nos ducit: quis est qui non videt eandem in pietate philosophica acquirenda, omne ferre paratum (§. 4.)?

§. XXIV.

Ostendi quidem posset contemplationem mundi, nos ad cognitionem plurium perfectionum divinarum perducere posse; sed sufficiat nos hinc saltem indicasse qua ratione a contemplatione rerum naturantium, animus ad creatorem sit elevandus.

§. XXV.

Contemplatio mundi, voluptate animos nostros perfundit. Dum rem aliquam intuemur, perfectionesque quasdam ad utilitatem nostram aliquid conferentes eidein inesse deprehendimus; voluptas penes nos exsurgit. Mundum vero contemplando; non solum perfectiones Deo inesse deprehendimus (§. 8. 10. 13. 16. 19. 28.); verum etiam easdem infinitis modis felicitatem nostram provehere (§. 11. 14. 17. 20. 23.); ideoque hinc magna exsurgit voluptas.

§. XXVI.

Voluptas intenditur, tum ex gradu perfectionum, tum etiam gradu certitudinis. Dei perfectiones cerniuntur esse summas (§. 9.); ideoque illa voluptas, quam illae nobis offerunt, est summa: infinitis parafrangis distat a voluptate, ex perceptione quacunque alia exorta: nunquamque in tedium degenerare potest.

§. XXVII.

§. XXVII.

Si ergo perfectiones divinæ summam ac constan-
tem voluptatem nobis offerunt; sequitur etiam
easdem felicitatem nostram summam provehere:
qvandoqvidem illa consistit in constanti statu lœtitiae
sive voluptatis. Si Dei perfectiones felicitatem no-
stram provehunc; sequitur etiam actiones Dei nos
statumque nostrum perfectiorem reddere, sive quod
idem est, esse bonas & quidem optimas (§. 9.). Si
Dei actiones sunt optimæ; fluit etiam hinc, omnes
nostræ actiones, quæ cum his convenient est, opti-
mas. Dei autem actiones, constanter ideo sunt opti-
mæ, quoniam ille, ut ens perfectissimum ex iis,
quæ optima sunt, nempe perfectionibus suis, moti-
va earum haurit; ideoque nostræ, si cum his conve-
nient, constanterque bonæ erunt; debent etiam mo-
tiva haurire ex perfectionibus divinis.

§. XXVIII.

Actiones itaque nostræ, quibus perfectiones divi-
næ motiva exhibent, constanter sunt bonæ ac
optimæ: proinde etiam non possumus non potius ex
illis quam ex re quacunque alia, nostra haurire moti-
va; modo easdem distincte cognoscamus (§. 3.) Hoc
ipsum contemplatio mundi præstat (§. 8. 10. 15. 16. 19.
22.): ergo etiam efficit, ut ex perfectionibus divinis,
actionum nostrarum motiva desumamus.

§. XXIX.

Quo itaque diligentior & accuratior contemplatio
mundi instituitur; eo etiam major promptitudo
C. acqui-

acquiritur ex perfectionibus divinis actionum motiva desumendi (§. 4.). Omnis etenim promptitudo crebro actuum exercitio acquiritur.

§. XXX.

Pleitas philosophica per contemplationem hujus universi acquiritur. Promitudo ex perfectionibus divinis actionum motiva desumendi, pietatem absolvit philosophicam (§. 1.) Per contemplationem hujus universi haec promptitudo acquiritur (§. 28. 29.): ergo etiam per eandem, nimirum contemplationem, pie-

tas acquiritur philosophica.

SOLI DEO GLORIA.

